

G.K.  
357/45.

II f  
842

PRINCIPIORVM  
DOCTRINAE DE MORIBVS STOICAE  
ET CHRISTIANAE  
COLLATIO

DISSERTATIO HISTORICO - PHILOSOPHICA  
QVAM

PRAESIDE  
IOANNE GEORGIO CAROLO  
KLOTZSCH

PHILOS. DOCT. EIVSDEMQ. PROF. PVBL. EXTRAORD. REG. SOC.  
REGIOMONT. GERM. MEMBR.

E NUMERO EORVM

QVA INTERPRETANDO SCRIBENDO AC DISSERENDO  
PRIVATIM EXERCENTVR



A. D. XXX. MENS. MAII A. R. S. CIOIDCCXCIX.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R



ERNESTVS AVGVSTVS DANKEGOTT HOPPE

AA. LL. M. REV. MIN. CAND.

VITEBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII

REINCHENHAIN  
DOKUMENTE DER UNIVERSITÄT  
DES SAARLANDES  
KÖLN

DISTRIKT SAARLAND - PARSCHENHAIN  
1871

LOTHAR GEORG CAROLO  
FLOTTEN

UNIVERSITÄT SAARLANDES  
KÖLN

1871

UNIVERSITÄT SAARLANDES  
KÖLN

UNIVERSITÄT SAARLANDES  
KÖLN

UNIVERSITÄT SAARLANDES  
KÖLN

UNIVERSITÄT SAARLANDES  
KÖLN

V I R O

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

ADAMO FRIDERICO AVGVSTO  
DE WATZDORFF

CVRIAE PROVINCIALIS VITEBERGENSIS PRAESIDI

DYNASTAE IN WIESENBERG IESSNITZ RETTIS

LETZA CET.

PATRONO PIE COLENDO

EXIGVAM HANC OPELLAM

ANIMI GRATI ATQVE DEVINCTI TESTEM

OFFERT ET CONSECRAT

AVCTOR.



1718

ADAMIO TRUPPINO AUGUSTO

DE WATZORF

CAESARIS MAGISTRALIS WITTENBURGAE

LIBRARIUS ET VICE-RECTOR

LIBRARIUS

PATRONS DIE COLLEND


FRANCOFONIAE

RECTORIS

LIBRARIUS

1718





**I**nter omnes antiquiorum temporum philosophos, qui practicam disciplinae suae partem diligentius tractarent, non alii ipsa principiorum praestantia pariter ac subtilissima eorum expositione tantam acui sui et posterorum, quantam Stoici, laudem adepti sunt. Ipsos homines Christianos in admirationem rapuit ista praeceptorum et sententiarum vis, atque effecit, ut multi, cum nihil fere praeclari praeter eam, quam ipsi sequerentur, doctrinam tradi posse sibi persuasissent, principes Stoicorum recentiorum, si non addictos religioni Christianae, certe eius cognitione imbutos fuisse existimarent. a) Quae quidem opinio cum iam post varias virorum doctorem disceptationes iustis argumentis confutata et quasi obsoleta videatur: fuerunt alii, qui Stoicam sapientiam putarent vel Christianae parem vel ea superiorem. Nec vero defuit studium virorum acutissimorum, qui in hanc rem data opera inquirerent, et Christi doctrinae principatum prospero successu assererent. b) Quamquam igitur vix necesse sit, rem denuo in examen vocare, ac nos saltem non sumus ii, quibus in mentem veniat, reliquas forte dubitationes ita soluere, ut eruditorum iudicio satisfiat: non omnem tamen operam perdituri nobis videmur, si, oblata hac scribendi occasione, paulo diligentiore vtriusque morum doctrinae collationem instituamus; non id agentes, ut noua et inaudita proferamus; sed hoc vnice consilio, ut, quomodo ipsi argumentorum vim perceperimus, ex hac nostra dissertatiuncula, speciminis loco propo-  
sita, appareat. Id si respexerint aequi rerum aestimatores: eos ne-

a) De Seneca, Episteto, Arriano et M. Antonino Philosopho haec diu inter Christianos obtinuit sententia. Conf. TIEDEMANN'S *System der stoischen Philosophie*, Lips. 1776. P. III. p. 5.

b) Ex nostrae aetatis scriptoribus sufficiat nominasse S. Venerab. REINHARDVM, in libro: *Versuch üb. d. Plan* etc. edit. 4. pag. 105-108. et 332-337. et KANTIVM: *Critik d. pract. Vern.* ed. 2. p. 229 sqq.

que hunc cōnatum ipsum valde reprehensuros, neque, vbi imbecillitate virium iuuenilium lapsos nos viderint, ad ignoscendum adeo difficiles fore, speramus.

Verum oritur quaestio, vtrum Stoicorum de moribus doctrina cum Christiana recte comparetur. Etenim illa principiis nititur ex ipsius naturae humanae inuestigatione petitis, continua argumentatione ex se inuicem nexis, et in systematis formam reductis: haec, ordini philosophico minime adstricta, pro temporis ratione singula praecepta tradit, methodo ad captum vulgi accommodata, spreto ratiociniorum et demonstrationum artificio. Nec quisquam expositionem rerum subtiliorem expectabit, qui reputauerit, Christi consilium non hoc fuisse, vt nouum aliquod systema philosophicum conderet, sed vt vniuersalem animorum illustrationem, saluberrimamque mutationem efficeret, et adiuuaret, multitudinem insituendam; hincque diuersitatem locorum, vbi docebat, audientium, occasionum, quae nunc huic nunc illi institutioni ansam praebebant, nec non opinionum praecceptorum, quibus modo sic modo alia via obnitendum erat, ipsam denique temporum rationem et populi statum non tulisse, vt rite cohaerentem doctrinam de vniuerso ethices complexu traderet, omnesque eius partes singulatim nec interrupto ordine explicaret. Videbunt potius omnes, diuini auctoris sapientia dignissimum fuisse, quod grauissima praecepta, in vsum auditorum suorum quouis tempore apte delecta, et populari modo, ductis e vita communi rerumque cognitarum copia imaginibus, illustrata hic illic proposuerit. At enimuere recte videtur hoc statui, latere in Christi dictis systema fundamenti loco substratum, et inesse summa principia morum philosophica, quauquam non ad modum disciplinae disposita et artificiose tradita, sed populari veste induta sint; posse igitur e variis Christi praeceptis nexum quendam notionum definitarum elici, quem ipse in docendo secutus sit, atque sic totum aliquod inde conditum si cum aedificio quasi Stoeae superstructo comparetur, commode intelligi, quid alteri proprium, quid vtrique commune sit. Neque tamen, (quod vix monendum erat) iam propositum nobis est, omnia, quae ad discrimen illorum penitus cognoscendum faciunt, in hoc libello

enarrare, nec singula utriusque de moribus praecepta inter se conferre: sufficiet nobis, secundum praecipuas partes ostendisse, quid maxime inter virtutem e mente Christi et inter Stoicam intersit, et cur vel haec vel illa praeferrere mereatur. Iam vero omnia, quae ad verum cuiusvis morum doctrinae pretium statuendum pertinent, his tribus includi possunt, ut *primum* de summo morum principio, siue regula quadam agendi vniuersali et necessaria; *deinde* de causis regendae voluntatis, s. rationibus mouentibus, quas vocant; *denique* de obiecto rationis, s. summo bono, quaeratur. Haec igitur momenta primaria secuti, *priori* libelli parte Stoicorum, *altera* Christi et Apostolorum de moribus doctrinam delineare et diiudicare conabimur. Consulto tamen utriusque capita *separatim* tractanda censemus, ne, quae a se inuicem vehementer discrepant, incommode misceantur; nec dubitamus, quin, omnibus isto modo recte expositis, ipsum discrimen, quod vtramque intercedit, per se eluceat.

Cum autem haec communis esset Stoicorum omniumque veterum post Socratem philosophorum methodus pertractandae morum doctrinae, ut quaestionem de summo aliquo rationis obiecto siue de sine bonorum, quam grauissimam <sup>c)</sup> putabant, omnibus aliis praemitterent, et, hoc constituto, demum regulam agendi summam et rationes mouendae voluntatis inde deriuarent: iam quoque partim hoc ipsis dandum esse videtur, ut in exponendis eorum principiis eundem sequamur ordinem; partim consentaneum erit, ne nexum istius phi-

## A 2

- c) Veteres tantum tribuebant huic quaestioni, ut omnem veri nominis philosophiam ponerent in institutione de iusta notione summi boni conficienda, et de agendi ratione, qua hoc acquiri possit. KANT. *Critik d. pr. Vern.* p. 194. Conf. Cic. de Fin. V, 6. „Hoc constituto, in philosophia constituta sunt omnia.“ — Quod vero ad origines systematis Stoicorum attinet, cum hoc a nostra causa alienum sit, pro- vocamus ad dissertationem nuper a GARVIO editam, quae egregie totam eius *γένησιν* describit, in libro: *Uebersicht d. vornehmst. Principien der Sittenlehre* cet. Vratisl. 1798. p. 58 sqq. et eiusdem iudicium de via, qua isti inceserint, p. 79. coll. *Philos. Anmerk. u. Abhandl. zu Cic. Büch. v. d. Pflichten*, lib. I. p. 11 sqq.

lofophiae inique interrumpamus, non singulas eius partes fingulatim diiudicare, sed potius continua oratione breuem praecipuorum capitum descriptionem exhibere, et dehinc sententiam nostram de universo notionum complexu subiungere. Iam, si quaeratur, quid per ipsam vocem *summi boni* intellexerint, Ciceronis verbis responderi potest, hoc omnium philosophorum sententia tale esse debere, ut ad id omnia, ipsum autem nusquam referri oporteat; d) vel Senecae finem, ad quem nitamur, ad quem omne factum dictumque nostrum respiciat. e) Id ut exquirerent, Stoici *bonum* omnino, quamquam variis verbis, ita tamen definiebant, ut nihil hoc nomine dignum censerent, nisi quod sit natura absolutum, f) quod semper ac sine ulla vicissitudine pro sit naturis ratione praeditis, siue quod naturae hominum omni ex parte consentaneum sit. g) Frustra igitur bonum malumue alias quaeri, quam in rebus potestati nostrae plane subiectis: hinc illud vnice in libera nostra optione positum esse. h) Hunc vero liberum sentiendi agendique modum adesse non posse, si sensuum affectionibus obsequamur: itaque iudicium de bono ac malo neutrum, quam sensibus committendum, sed rationi soli relinquendum esse, quippe sine qua boni quid esse nequeat; i) nihilque pro bono haben-

d) Cic. de Fin. I, 9.

e) Sen. ep. 95.

f) Huic Diogenis (Babylonii illius) definitioni assentitur Cato, explicans Stoicorum placita, ap. Cic. de Fin. III, 10. Varie definitum esse bonum, nemini mirum videbitur, qui cogitauerit, idem sensu absoluto, relatiuo et effectiuo varie dici posse. Conf. *ΒΥΝΔΕΙ Inrod. ad philos. St. ex mente M. Antonini*, praemissa editioni Wollianae M. Anton. libr. ad seipsum, Lips. 1729. p. 17.

g) Diog. Laert. in vita Zenonis, segm. 94 sqq. coll. Sext. Empir. Hypotypof. I. III. c. 20. 21. Anton. III, 6. *Ἐι μὲν τὸ ὡς λογικῶν, τοῦτο (τὸ συμφέρον) τήρει εἰ δὲ τὸ ὡς ζῶν, ἀπόφηναι.*

h) *Πῶς τὸ ἀγαθόν; ἐν προαιρέσει πῶς τὸ κακόν; ἐν προαιρέσει πῶς τὸ ὑδέτερον; ἐν ταῖς ἀπροαιρέτοις.* Arrian. in Epict. II, 16. ab init. Enchirid. I. 2b in. — Anton. VI, 41. *Ἐὰν μόνον τὰ ἐφ' ἡμῶν ἀγαθὰ καὶ κακὰ κινῶμεν* (vulg. lect. *κινῶμεν*) cet.

i) Sen. epist. 66. „De bonis ac malis sensus non iudicat. — Ratio arbitra est bonorum et malorum. — Omne bonum in animo est.“



dum, quod quis et male uti possit. k) Iam, ut suam de bono *summo* sententiam explicarent, id non nisi in honestate cerni affirmabant; bonum idem esse cum honesto, atque hoc vice bonum, cum solum naturae et dignitati hominis accommodatum sit: l) malum contra, siue tale quid, quod ubique ac semper vitandum sit, nihil esse, nisi quod sit turpe. Honestum esse bonum perfectum et absolutum, omnibus numeris a natura quaesitis expletum, aut omni ex parte conveniens. m) Idem sua ipsius causa petendum, et turpe per se fugiendum esse, non ob metum aut spem aut aliquid eorum, quae sunt externa. n) Quare etiam omnia bona paria esse dicebant, neque in bonum ipsum vel incrementum quoddam vel imminutionem cadere. o) Enimvero, cum soli honestati siue virtuti nomen boni, turpitudini siue vitii mali nomen vindicassent, reliqua omnia ad *ἀδιάφορα* referebant, h. e. non ea, quae neque cupiamus, neque auersemur, sed quae nihil conferant ad vitam vel beatam vel miseram efficiendam. p) Nulla igitur alia in re, quam in virtute, sitam esse felicitatem humanam. Voluptate enim ac dolore eum moueri non posse, qui honestum pro summo et solo bono habeat: hunc eundem omni ex parte felicem esse, quod tantum in rebus iis, quae ab ipsius voluntate pendent, felicitatem suam reposuerit; reliquas vero omnes,

k) Sen. epist. 120.

l) Diog. Laert. l. I. 101. Cic. de Fin. III, 8 et 3. „Quidquid praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris, in bonisque numeraueris; et honestum ipsum, quasi virtutis lumen, extinxeris, et virtutem penitus euertaris.“

m) *Τελείως σύμμετρον.* Diog. Laert. 100. Sen. ep. 71.

n) Cic. de Fin. III, 6. „Honestum solum vi sua et dignitate expetendum.“ Cf. c. 11. et Anton. IV, 20. Πάν τὸ καὶ ὁπωσοῦν καλὸν ἐξ ἑαυτοῦ καλὸν ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἑαυτῷ καταλήγει, οὐκ ἔχον μέρος ἑαυτοῦ τὸν ἔπαινον.

o) Cic. l. I. c. 10 et 14. Laert. 101. Sen. ep. 74 et 87.

p) Laert. 102. Nequaquam igitur ista, quae *indifferentia* vocabant, plane perinde habenda, potius alia praeposenda, reiicienda alia censebant. Vid. Cic. de Fin. III, 15. 16. vbi Stoicorum *προηγμένα* et *ἀποπροηγμένα* explicantur.

quippe fluxas atque mutationibus obnoxias, parum curet. Veram et immutabilem beatitatem in eo consistere, vt nec a rebus extra nos positis cruciemur, et nostrum ipsorum plane sumus potentes. q) Sola virtute effici gaudium verum, constans et perpetuum. r) Causam huius rei exinde arcelebant, quod ea, quae praecipua sint in felicitate, nempe vt a variis vitae fatis et euentibus fortuitis, quantum fieri potest, exempta sit, et vt per omnem vitam duret, virtuti soli, qualem illi notione sua complectebantur, propria sunt. Cum enim, qualia-  
eunque demum sint tempora et res circumiectae, semper liceat rationi conuenienter agere; cum nulla vis externa, nullus casus, nulla rerum mutatio animum a recte sentiendo et decernendo possit cohibere: nulla etiam re vnquam felicem animi conditionem virtute nixam, vel potius in ipsa latentem et inclusam, tolli aut imminui posse. s)

Iam cum veteres, constituto bonorum fine, omnia inde derivarent praecepta: t) Stoicorum quoque summum bonum simul erat *summa*, quam scribebant, *viuendi regula*. u) Varias quidem sunt, quibus ea exprimi solet, formulae et sententiae, sed vere parum inter se diuersae, vti: conuenienter (*εμολογουμένως*) viuendum esse, h. e.

q) Sen. de vita b. c. 16. et ep. 76. „Cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit. Hoc autem vnum hominis bonum est, quo vno beatus efficitur.“

r) Anton. II, 15. IV, 49. VII, 67. Sen. ep. 9 et 27. Cf. SCHVLZII *Prolegomena ad Senecae librum de v. beata*, Lips. 1797.

s) Sen. de v. beata, 4 et 16. Plura de Stoicorum summo bono qui cupiat; praeter veterum scripta subinde laudata, adeat libros: TIEDEMANNI *System d. stoischen Philosophie*, p. III. p. 33 sqq. CONZII *Abhandlungen für das Eigenthümliche u. d. Gesch. d. Spättern st. Philos.* Tubing. 1794. p. 20 sqq. GARVII *philos. Anmerk. u. Abhandl. zu Cic. Büch. v. d. Pflichten*, Vratislav. 1787. p. 10 sqq. ad libr. I. de Off. — et Eiusdem *Uebersicht d. vorn. Princ. d. Stoen.* l. I.

t) Cic. de Fin. I, 4. „— quaeritur, quid sit finis, quid extremum, quid vltimum, quo sint omnia bene viuendi, recteque faciendi consilia referenda.“

u) Vid. TIEDEM. l. I. p. 76.

7

secundum unam sibi que constantem normam; v) naturae congruenter viuendum, s. ita, vt, adhibita scientia earum rerum, quae natura eueniant, felicias, quae secundum naturam, et, quae contra naturam sunt, relictas; x) viuendum ex legibus vniuersae naturae, et singulatim ex naturae humanae conditione; y) ratione vtendum in eligendis rebus naturae consentaneis; z) ita viuendum, vt omnibus officiis satisficiamus, nimirum adoptandis iis, quae naturae conueniant, spernendis, quae eidem aduersentur. a) Quae quidem sententiae in hac vna conueniunt, qua et ipsi Stoici saepe vtuntur: *rationi congruenter*, h. e. ho-

- v) Hanc Zenonis, vt putant, sententiam illustrat Sen. ep. 20. „Vt ad legem suam quisque viuat, ne orationi vita dissentiat; vt ipsa inter se vita vnus, sine actionum dissensione, coloris sit. — Vnam simul, ad quam viuas, regulam prende, et ad hanc omnem tuam vitam exaequa. — Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle.“ — Cf. ep. 35. fin. ep. 95. 121. 124 cet. Cic. de Fin. III, 6. A Stobaeo (Ecl. eth. 167.) haec vocatur *διάθεσις ψυχῆς σύμφωνας αὐτῇ περὶ ὅλον τὸν βίον*.
- x) Sic Cicero (de Fin. III, 9.) explicat illud, quod Cleanthes vel ipse Zeno proposuerat: *ὁμολογουμένως τῇ Φύσει ζῆν*. Epictetus saepe habet: *συνφώνως τῇ φύσει ζῆν*. Conf. LIPSI *Manud. ad St. Philos.* pag. 180 sq. ed. Lugd. Bat. 1644. qui tamen id potius de passiuā quadam virtute intelligit. Sen. ep. 90. „Naturam sequi, eam ducem et legem habere; Deos sequi.“ Cf. de v. b. 15. et Arrian. in Epict. I, 26 et 29. *τέλος ἐστὶ τὸ ἐπεῖθαι θεοῖς*. Vnde patet, Stoicos etiam eodem sensu, quo dicerent naturam, dixisse Deum s. Deos, vel legem diuinam, quippe respicientes auctorem legum naturae. Anton. XII, 26. Epict. Enchir. 49.
- y) Ita, praecedentem formulam determinaturus, statuebat Chryseippus. *ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων. Μέρη γὰρ εἰσὶν αἱ ἡμετέραι φύσεις τῆς τοῦ ὀλου. Diog. Laert. VII, 87 et 89. φύσιν δὲ Χρῆσσιππος μὲν ἐξακούει, ἢ ἀκολούθως δεῖ ζῆν, τὴν τε κοινὴν, καὶ ἰδίως τὴν ἀνδρωπίνην*. Cfr. Anton. VI, 58.
- z) Hoc Diogenes (Babylonijs) summum vocabat: *τὸ εὐλογεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ*. D. L. VII, 88.
- a) Hanc Archedemus communem vitae regulam scripsit. D. L. 88. *τὸ πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντα ζῆν*.

neſte eſſe viuendum. b) Itaque haec vniuerſalis agendi regula eo nos omnibus viribus contendere iuber, vt naturam ſiue rationem perficiamus, c) vt indolem moralem excolamus, vt honeſtum bene cognitum habeamus, idque per ſe, quia naturae humanae ſemper conueniat, oppreſſis cupiditatibus, conſtanter ſequamur; d) vt igitur ſtudeamus illi ſapientiae ſ. virtuti, quam poſuerant in abſoluta animi perfectione intra huius vitae limites iam aſſequenda. e) Quare, cum volunt naturae conuenienter viuendum eſſe, intelligunt partim naturam rerum vniuerſam, hancque patiendi maxime ſequi, hinc omnibus, quae illa nobis impoſuerit, acquieſcere et contentos eſſe nos debere; partim ſuam cuiusque naturam ſ. rationem, hanc agendo potius ſequendam, h. e. ea, quae illa praeciperit, recte et omnino facienda eſſe ſtatuunt.

Tertium, quod ad perſpiciendam virtutis naturam attinet, fitum eſt in *rationibus regendae voluntatis*. Hoc in loco vero, quoniam ſine noſtione libertatis moraliſ nihil poteſt effici, ante omnia quaeritur, quid de ea cenſuerint Stoici. Affirmabant autem, in noſtra cuiusque poteſtate poſitum eſſe, vt aliquid vel cupiamus vel auerſemur,

- b) Cic. Off. III, 3. de Fin. II, 11. Sen. ep. 74. ſub fin. „Virtus conuenientia conſtat: omnia opera eius cum ipſa concordant et congruunt.“ — Ep. 20. „Non poteſt cuiquam ſemper idem placere niſi rectum.“ — Fulſiorem harum formularum expoſitionem dedit TIEDEM. lib. laud. p. 76-83.
- c) „A ſola enim ratione perfecta, ſecundum quam omnis vita inſtituenda eſt, certa norma rectum ſemper eligendi praebetur.“ Cic. de Fin. III, 7.
- d) Sen. ep. 120. „Ex quo ergo virtutem intelleximus? Oſtendit illam nobis ordo eius, et decor, et conſtantia, et omnium inter ſe actio-num concordia, et magnitudo ſuper omnia efferens ſeſe.“
- e) „Ratio recta et conſummata felicitatem hominiſ impleuit. — Haec ratio perfecta, virtus vocatur, eademque honeſtum eſt.“ Sen. ep. 76. Haec vocatur τελειότης τοῦ ἠθους, Anton. VII, 69. ἀεθδὸς λόγος, XI, 9. Laert. VII, 88. etiam νοῦς τέλειος. Cf. *Erhices Stoicorum recentiorum fundamenta* etc. auct. WEGSCHNEIDER, Hamb. 1797. p. 18 ſqq.



mur, nec vlla re externa ad alterutrum cogi nos posse. f) Appetitionem enim nulla alia re vinci posse, nisi alia quadam appetitione; atque adeo, vbi praesentissimo fortunarum ipsiusque vitae periculo ad male agendum homines perducantur, causam rei non in istis calamitatibus latere, sed in illa ipsorum opinione, qua satius putant, rerum externarum impulsui cedere, quam carissima quaeuis perdere et mortem subire. Nec Deum nobis satis consulturum fuisse, nisi mentem nostram, suae naturae particulam, ab omni coactione externa liberam effecisset; quippe, si pendeamus a rebus extra vires nostras positas, ea re tolli omnem hominis virtutem ac felicitatem. g) Per libertatem igitur intelligunt facultatem eligendi, quidquid velimus, ducti non rebus externis, sed sola ratione perfecta. Libere viuere eum, qui viuat, vti velit, qui neque cogi, neque prohiberi, nec vlla vi ad quidquam adigi possit. h) Verum in plurimis locis, vbi de libertate disserunt, notionem eius ita describunt, vt in solum Sapientem, quem vocant, conueniat, et eadem fere sit cum ipsa virtute. i) De qua quidem re pluribus exponere, huc nihil attinet. — Videndum potius est, quibusnam agendi rationibus voluntatem hominis, sumta eius libertate, regi voluerint. Plures sunt, quae possint afferri, sed nunc in praecipua maxime subsistamus. Dicebant nempe, virtutem non commodi inde forsan redundaturi spe, sed ipsam propter se appetendam esse. Nulla igitur alia recte agendi causa opus esse, quam quae

f) Epict. Enchir. I. — ἐφ' ἡμῖν μὲν ὑπόληψις, ὀρμη, ὀρεξις, καὶ ἐνὶ λόγῳ ὅσα ἡμέτερα ἔργα cert. — καὶ τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ φύσει ἐλεύθερα, ἀκάλυτα, ἀπαρρητόδια. Et c. 2. — οὐδεὶς σε ἀναγκάσει οὐδέποτε οὐδεὶς σε καλύσει. Cf. Anton. VIII, 28.

g) Vid. Arrian. Epict. I, 7. et IV, 7. et TIEDEM. p. 147q.

h) Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν, ὡς βούλεται ἂν οὐτ' ἀναγκάσαι ἐστίν, οὐτε κωλύσαι, οὐτε βιάσασθαι cert. — Ἐλεύθερός ἐστιν, ᾧ γίνεται πάντα κατὰ προαίρεσιν, καὶ ἂν οὐδεὶς δύναται καλύσαι. Arrian. I, 12.

i) Ita Sen. ep. 37. — „Sapientia, quae sola libertas est.“ Cf. Cic. de Fin. III, 22. Ceterum omnes sciunt, scripta veterum plena esse praedicationum de libertate Sapientis.

in ipsa recti et honesti natura inlit. Id quod sic fere probare fludebant. Praeclare facta, inquit, et ipsa consilia magnorum virorum admiramur, et, cum ea comperimus et diligenter consideramus, voluptate quadam liquida affici nos sentimus, quamquam nobis ne tantillum quidem vtilitatis afferant: turpiter facta contra auersamur, etiamsi ea nullo nobis sint detrimento. „Quid dici poterit, ait Cato Ciceronianus, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statueremus, quo minus homines, tenebras et solitudinem nacti, nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudine ipsa deterreat.“ k) Idem confirmant exemplis virorum egregiae mentis, qui pro patria, pro parentibus aut liberis mortem fortiter oppetant, nullum post hanc vitam profusae animae praemium sperantes; hoc eos non facturos esse, nisi honestum ac bonum sua natura homines ad se eligendum attraheret. l) E voluptate autem voluntatis regendae praesidia peti non posse, inde eliciunt, quod voluptas abiecta et brutis destinata, virtus excelsa ac diuina sit, adeo vt vtraque in vno eodemque homine adesse nequeat; eum igitur, qui illi feruiat, molestius vitae constanter sustinendis et periculis officii causa animo intrepido adeundis imparem, hinc nec virtutis studiosum s. sapientem esse. Enimvero, quamquam virtus voluptatem secum ducat, tamen eam non ob hanc quaerendam, hanc non mercedem, nec causam recte agendi, sed eius accessionem esse, siquidem homo probus ipso honesti studio felicitatem se reddat. m) Itaque non alia sumitur causa sectandae virtutis, quam quod nihil ea maius, nihil praestantius sit, nihil hominem altius super cuncta animalia euehat. — Inter ea vero virtutis incitamenta,

k) Cic. de Fin. III, 17.

l) τῶν ἀνθρώπων οἱ ὑπὲρ πατρῆος ἢ γονέων ἢ τέκνων εἰς ἀνάγκην ἑαυτοὺς ἐπιδιδόντες, οὐκ ἂν ποτε τοῦτ' ἐποίουν, μηδεμίᾳς αὐτοῖς ἐλπιζομένης μετὰ θάνατον ἡδονῆς, εἰ μὴ φυσικῶς τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν τοῦτους ἐπέσπαστο πρὸς τὴν αὐτοῦ ἀρεσίν. Sext. Empir. adv. Eth. 100.

m) Sen. de vita b. 9. „Non, si voluptatem praestitura virtus est, ideo propter hanc petitur: non enim hanc petit, sed *et hanc*; nec huic laborat, sed labor eius, qui aliud petet, hoc quoque assequitur. — Interrogas, quid petam ex virtute? ipsam: nihil enim habet melius, ipsa pretium sui.“

quae ad sustentandum primarium illud momentum suaserunt ferioris aetatis Stoici, multa quoque sunt petita e religione, quam, separatim olim a doctrina morum, sensim cum ea arctius connexerunt. Hi enim officii reuerentiam eo adiuuare studebant, quod alternam Dei hominumque relationem maiori cum cura exponerent, et inde dignitatem naturae humanae illustrarent, ex qua denique rationem sentienti agendique necessariam comprobabant. n) Sic saepe ex arcta nostra cum Deo necessitudine et quasi cognatione argumenta officiorum deducuntur, quippe cui parenti nos filii recte faciendo similes euadere possimus ac debeamus. o) Praeterea multi eorum de diuina rerum omnium cura p) ita statuunt, vt e notione numinis rebus omnium hominum aequae prospicientis, et e fraterna coniunctione, qua Deus nos inuicem viuere atque communi fato vti voluerit, causas repetant, cur homo, qua talis, magni aestimandus, et prauis etiam

B 2

n) Arrian. I, 3 et 12.

o) Sen. de Prouid. I.

p) Sen. de Prouid. — Arrian. I, 14 et 24. Anton. IV, 45. Cum hac sententia non pugnare videntur Stoicorum dicta de fato. Namque partim non necessitatem absolutam et cogentem innuebant; partim fatum et prouidentiam, tamquam praedestinatum et rerum in vniuersum spectatarum et singularium euentuum institutionem, synonymice dicebant; (Anton. IV, 10. VII, 9.) denique causas primas et perfectas a causis adiuuantibus et proximis discernebant, ita vt vtrasque semper quidem, sed illas tantum necessario effectum producere contenderent: qua re numini summam libertatem asserere conabantur. Vid. *Conz Abhandlungen für d. Geschichte und das Eigenhümliche d. spätern stoischen Philosophie*, pag. 65. 66. Atque adeo, vbi Seneca Deum fato subicere videtur, statim rem sic explicat, vt omnes summam voluntatis diuinae immutabilitatem intelligant. „Scriptis quidem fata, sed sequitur. — Non externa Deos cogunt, sed sua illis in legem voluntas est.“ Sen. de Prouid. 5. Cfr. de Benef. VI, 21. „Maximum argumentum est firmae voluntatis, ne mutari quidem posse.“ Et ib. IV, 7. — „hunc eundem et fatum si dixeris, non mentieris; nam, cum fatum nihil aliud sit, quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent.“

benefaciendum sit. q) Neque vero hoc in loco silentio praetereunda est sententia de animi immortalitate. Hanc quidem Stoici, cum de moribus praeciperent, vel plane non respexerunt, vel negarunt, vel certe de ea admodum dubii fuisse videntur. Ipse Seneca, r) quamquam saepissime eius mentionem iniicit, magnamque verborum et sententiarum copiam ei exornandae impendit, nec perdurare modo post mortem animum sui conscium et pristinam conditionis memoriam, sed eundem quoque in eorum, qui in terris relictis sint, doloris gaudiique societatem venire, et cognitionis pariter ac virtutis incrementis in dies augeri affirmat: tamen in plurimis aliis locis haec de re tam dubitanter loquitur, ut parum absit, quin de ea omnino desperet. Quare, cum eum pro variis temporibus et vitae conditionibus huc illuc fluctuantem videamus, fatendum est, ei nihil de hac certi constituisse. Et notatu dignum est hoc, Senecam plerumque non ibi, ubi quaestiones philosophicas soluit, et vitae morumque praecepta affert, sed in consolationibus illa doctrina uti solere: unde colligere licet, eam ipsi potius solatii aliis impertiendi fontem, quam graue ad virtutem incitamentum visam esse. Simili modo in Epicteto et Antonino s) passim magna vitae futurae spes, nusquam certa fides apparet. Nec vllus horum triumuirorum iustam huius dogmatis ad ethicen applicationem exhibuit.

Supereft, ut de toto hoc principiorum Stoicorum agmine, quod consulto nolimus inserta hinc inde nostra opinione interrumpere, iudicium feramus. Quis autem est animi ingenui homo, quin, ubi

q) Anton. VII, 22 et V, 27. Συζήτῃν θεοῦ etc. Quare saepe in afferendis ad recte faciendum incitamentis hoc vtrumque coniungitur: φιλῆσον τὸ ἀνθρώπινον γένος ἀκολούθησον θεῷ. Anton. VII, 31.

r) Data opera Senecae de immortalitate animi effata exposuit CONZ in lib. laud. pag. 90 sqq. et MEINERS in *Commentario, quo Stoicorum sententiae de animarum post mortem statu et fati illustrantur*. Vid. Eius *vermischte philos. Schriften*, Vol. II.

s) De his etiam videantur CONZII et MEINERSII libri modo commemorati.



sententiarum illarum vim et pondus senserit, secum optet, ut, quae tantopere se legentibus commendant, vera sint omnia? quis non aegre ac timide splendidi quasi aedificii fundamenta non satis firma esse animaduvertat? quis subvertere molem egregii nexus lobens ac laetus voluerit? At enimvero cum huius loci non sit, ea omnia, quae ab ista philosophorum familia vel recte et praeclare exposita, vel falso et parum commode tractata, vel plane omissa fuerint, singulatim recensere; sed potius quaestio nostra in eo cernatur, vtrum illa de moribus doctrina, si totam spectemus, idoneis initiis nitatur, iustamque et rationis principiis bene congruam virtutis notionem exhibeat: nostrum fecisse putabimus, si secundum tria momenta superius commemorata nostram qualemcunque de eius pretio sententiam proposuerimus. Negamus autem, Stoicorum systema iis, quae communi rationis humanae voce efflagitantur, satisfecisse. Et *primum* quidem, eundemque largissimum erroris fontem, vnde non horum modo, sed omnium fere antiquiorum philosophorum falsa de rebus moralibus statuta promanarint, illum putamus, quem KANTII ingenium eruit et indicavit. t) Videlicet, cum relictis omnibus lex moralis, quae agendi norma in se contineat, et deinde demum materia voluntatis, huic legi conueniens, exquirenda sit: illi, methodum quaestionum de moribus instituendarum male pervertentes, primum omnium obiectum aliquod voluntatis, s. id, quo tendit actio nostra, id, quod volumus, inuestigabant, eique ipsam legem moralem superstruebant. Quam parum autem firma et sufficientia agendi praecepta constitui potuerint a philosophis hac via incedentibus, argumentis grauissimis abunde comprobatum est. v) Quippe, si quod appetendi obiectum, siue res, quam effici atque adesse cupimus, iam sumitur, priusquam de vitae regula constat, et illius rei appetitio conditionem, cur quandam actionum normam principii loco adoptemus, includit et secum fert; cum istud nihil aliud esse possit, nisi res, quae delectat: ipsum hoc principium primum ab experientia pendeat, quoniam

t) *Critik d. pract. Vern.* pag. 112 sqq. ed. 2.

v) *Ibid.* pag. 38 sqq.

sensus iucundi et iniucundi non sola ratione, sed experiundo demum cognoscitur; deinde ob hanc ipsam indolem, qua necessitatis atque vniuersalitatis notio in id non cadit, nunquam legis practicae locum tueri potest. Eiusmodi principia, quae vno nomine *materialia* appellauit criticae philosophiae Auctor, pendent a natura obiecti, et a cupiditatibus, quae in diuersis hominibus diuersae sunt et mutabiles; igitur finis quoque, siue id, quod actione nostra petimus, semper idem et constans esse nequit; cumque sic ad ea, quae ex factis nostris consequantur, et ad res circumiectas, potestati nostrae minime subdita, respiciatur: illa principia nec absolute in omnes naturas ratione praeditas valere, neque ad omnes et singulas causas in vita humana obuias accommodari possunt. Eadem vero cuncta nostrae ipsorum felicitatis studio nituntur, causamque voluntatis determinandae (sit venia voci!) in inferiori appetendi facultate ponunt. x) Itaque, cum leges plane vniuersales cogitari nequeant, nisi quatenus proposita agendi praecepta sola *forma* — h. e. ipso modo, quo aliquid volumus, non habita ratione eius, quod appetimus — ad communem *νομοθεσίαν* apta sint: sequitur, talem legem adesse et agnosci debere, antequam de re aliqua voluntati obiecta quaeratur. — Quod si modo dicta transferimus ad Stoicorum summum de moribus principium: dubitari nequit, quin et ipsum pro materiali habendum sit, quod totum tandem, quidquid illi contra dixerint, ad *φιλαυτίαν* redeat. Quamquam enim virtutem propter se, non praemiorum voluptatisque spe, petendam esse volunt: tamen, cum bonum malumue, vnde voluntatis mouendae causas vnice deducebant, non nisi ex rerum ad sensus nostros relatione denominassent, y) illud ipsum honestum, cuius notionem hac via ingressi menti informauerant, e sensu

x) *Critik d. pr. Vern.* p. 40. 41. Cur materialia morum principia locum habere nequeant, pluribus etiam probauit Auctor libri: *Ueber d. Verhältniß d. krit. Philosophie z. moral. polit. u. relig. Kult. d. Menschen*, Jen. 1798. p. 39. 40. vbi in nota subiecta monet, talia praecepta non solum superflua esse, sed etiam, si rem ad viuum refecare velis, exigere, quae vires humanas plane excedant.

y) Cfr. Sen. epist. 120.

(qui quidem, nisi eum experti fuerimus, nullus est) pendeat, nec ideo absoluti boni nomine vere dignum cenferi potest. Virtutis stadium isti non a lege, quae nullo voluntatis respectu habito praecipiat, sed ab ipsis voluntatis motibus deriuabant. Vnde etiam pater, cur bonum interdum definiat id, quod semper profit naturis ratione instructis: qua re factum est, ut intuiti etiam ad voluptatem, alias fortiter spretam, subinde relaberentur. Laudabant quidem suam perfectionem, in eaque sita omnia praedicabant. At quanam, quaeso, potest esse perfectio hominis, nisi ubi facultates et vires a natura datas ita excoluit, ut ad certa quaedam consilia exsequenda idoneus reddatur. 2) Iam cum denuo quaerere liceat, quanam sint illa consilia, quorum causa suscipienda et perferenda sint omnia: non ipsa perfecta ratio summum illud et extremum est, sed vel sensus iucundus, quem animus perfectionis suae conscius percipit, vel utilitas e viribus cultis et auctis repetenda. a) Ad extremum igitur omnia desinunt in id, quod nobis melius sit, ut desideria naturae nostrae expleantur. Honestatem sequendam docent ideo, quoniam eam satis aptam existimant, ut voluntati satisfiat. Quae ne forte iusto durius dicta videantur, subiungimus hoc, nobis, etsi origine sua non differat ethica Stoa ab Epicurea, tamen illam huic longe praefendam videri propterea, quod ipsa multo minus sensibus faueat, et omnia ratione duce agi velit. Verum, si stricte rem persequimur, apparet, felicitatis, quam illi tranquillitatem, hi vero voluptatem dixere, studium utrisque summam vitae regulam praebuisse.

- 2) *Critik d. pract. Vern. pag. 70.* „Der Begriff der Vollkommenheit in practischer Bedeutung ist die Tauglichkeit oder Zulänglichkeit eines Dinges zu allerley Zwecken. Diese Vollkommenheit, als Beschaffenheit des Menschen, söllich innerliche, ist nichts anders, als Talent, und, was dieses stärkt oder ergänz, Geschicklichkeit.“
- a) Si vero finis huius studii poneretur in eo, ut facultates excoltae officio optime exsequendo inserviant: opus foret superiori aliquo principio, quo, quid officii loco iniungendum sit, definiiri posset. Tum vero principio perfectionis plane nihil explicaretur. Vid. lib. laud. *Ueber d. Verhältniß der etc. pag. 35. not. I.*

Deinde grauissimus error Stoicorum latet in eo, quod notiones diuersi generis et toto coelo distantes, virtutis et felicitatis notionem, pro iisdem et homogeneis habebant. Sic igitur opera, quam recte agendo nauamus, et felicitatis studium ratione susceptum non spectanda forent tamquam diuersae actiones, sed tamquam vna eademque, ita vt priori non aliud, quam huic, principium fundamenti loco substruendum esset. b) Quod quantum aduerfetur communi hominum sensui, per se patet. c) Quae vero exinde in systema Stoicum irrepserint peccata, etiam facile negotio cognoscitur. Hinc enim factum est, vt virtutem non tantum conditionem felicitatis vnicam et bonum *supremum*, sed solum bonum extremum et *consummatum* perhiberent; vt in sensu virtutis simul ipsam felicitatem includi arbitrarentur, et Sapientem suum ipso virtutis exercitio beatissimum celebrarent. Conscientia virtutis iis eadem erat cum sensu felicitatis. Quare etiam non adeo mirum nobis videri potest, Stoicos sibi non constituisse, et modo virtutem nulla habita felicitatis ratione commendasse, modo eius studium e felicitatis desiderio repetiisse. d) Huius inconstantiae originem in eo deprehendimus, quod non obseruabant, alium esse virtutis sectandae, alium felicitatis comparandae modum, nec vtrumque necessario quodam nexu cohaerere. Quamquam enim non insitiamur, eum, qui officio constanter morem gerat, in vniuersum quoque optime, quantum in ipso situm est, saluti suae prospicere: tamen, vt taceamus, a probis et ob probitatem grauissimas saepe calamitates suscinendas, voluptatumque illecebras non sine molesta pugna contemnendas esse; ex illa ipsa coniunctione rerum dissimillarum, quam in natura vt plurimum adesse forte vidimus, non sequi-

- b) „Notiones heterogeneas ad vnitatem analyticam s. logicam, ex lege identitatis, redigere conabantur.“ *Critik d. pr. Vern.* p. 199. 200.
- c) Haec sensus communis dictamina, quibus fines honestatis et philautiae (vnde prudentia quidem, non virtus proficiscitur) certo constituuntur, egregie aperuit, et exemplis e communi vita petitis confirmauit KANTIVS in *Cr. d. pr. V.* pag. 61-67.
- d) Cfr. Cic. de Off. III, 4.

quitur, vitamque ne notione quidem disiungendam esse, atque felicitatem, quae sensu hominis vniuersim nititur, sine vitae honestate locum plane non habere. Frustra illi beatitatem suam adeo supra omnem sensuum vim extollere conabantur, vt Sapientem rebus humanis maiorem, suaque virtute inter summas vitae miseras felicissimum praedicarent. Non quidem valde reprehendimus id, quod dolorem *πᾶνον*, voluptatem *ἀγαθόν* vocare noluerint: concedebant enim, sensum vel iucundum vel iniucundum e rebus circumiectis necessaria naturae humanae lege percipi; sed illum pro re per se appetenda, hunc pro fugienda habendum, eoque dignitatem hominis vel augeri vel depri- mi, recte negabant; itaque dolorem et voluptatem esse, quod nos appellamus, bonum et malum physicum, ipsi bene videbant et largiebantur. e) At in ea re haud dubie errabant, quod felicitatem non in istis sensibus, verum in sola mente recti sibi conscia cerni contenderent.

Denique, non recte Stoicos de summo bono sensisse, probamus ex illorum placitis de homine in hac vita iam perficiendo. Sapientia e mente Stoicorum ponebatur in eo, vt ab omnium eorum, quae ad sensus referuntur, imperio plane immunes officium constanter colamus, nec tentemur quidem ad peccandum. Hanc igitur animi conditionem intra huius vitae limites iam effici posse, eandemque esse summam felicitatem, ita vt Sapiens a natura minime pendeat. Nullis hoc in loco iis, quae supra de commissione notionum virtutis ac felicitatis dicta sunt, vnde quidem fuit haec ipsa de summo bono in terris obtinendo sententia; facile tamen intelligitur, eos hominis vires morales cogitando adeo euexisse ac supra modum extendisse, vt haec eorum idea communi nostrae de homine cognitioni valde aduersetur. f) Experientia enim clare docet, quidquid homo efficere ac

e) Cfr. KANT. *Critik d. pr. Vern.* p. 106.

f) Verisimillimum est, Stoicos non eo vsque processuros fuisse, si causam vitiositatis humanae rectissimam altius indagassent. Sed plane non attenderant propensionem ad peccandum in omnibus inde a primo rationis vsu conspicuam. Hinc in appetitibus naturalibus, per se

praestare possit, non esse ipsam sanctitatem; s. absolutam voluntatis cum lege morali conuenientiam; sed virtutem, s. sincerum studium obsequendi legi, non sine pugna cum appetitibus renitentibus. Quo igitur illi Sapientem suum iam peruenisse volebant, eo neque in his terris neque in altera vita vnquam perduci homo poterit, nisi eius natura plane alia reddatur. Virtus nostra modo in infinito quodam progressu ad istam perfectionem conspicua est; neque enim vnquam a vi cupiditatum adeo liberabimur, vt honestum per naturam nostram *amemus* et vbiq; *lubenter* faciamus (quae est sanctitas, vni Deo propria): nobis opus est obedientia legis dictamini praestanda; subicere nos debemus legi sanctae, et, vt hoc possimus, appetitui aliud suadenti continuo resistere. Stoici vero, cum Sapientem non amplius ad male agendum tentari, non obnoxium esse cupiditatum illecebris, et omni sensuum et affectuum vi quasi exutum dicerent, ipsum Deum effinxerunt. Itaque recte hoc ab antiquissimo inde tempore notatum est, Stoaе disciplinam humanas vires superare; imparem esse hominem ei, quam illa praescribat, virtuti, quippe heroicae ac fines naturae nostrae longe excedenti. Exinde vero, quod Stoici totam hominis naturam intra huius vitae terminos iam absoluendam docebant, mirum non est, eos, vbi de adipiscendo bonorum fine quaerebant, et immortalitatis et Dei nullam mentionem iniecisse. Non videbant, hominem per virtutem dignum quidem felicitate, sed nondum eius participem fieri; nolebant hanc a naturae conditionibus, hominis potestati superioribus, repetere; hinc non necesse iis videbatur, prouocare ad summum naturae dominum et rectorem vniuersi moralem, qui fortem nostram dignitati nostrae conuenienter definiat, et per omne spatium vitae aeternae efficiat ac largiatur. Collocauerant nimirum suam beatitatem in oblectatione, quam de virtute illa ideali et heroica in nobis effecta percipiamus.

nec bonis nec malis, sed sapienti consilio homini datis, origines prauis inuenisse sibi videbantur, quaerendas potius in eo, quod appetitibus istis, vbi ad violandam legem nos stimulant, resistere *nolimus*. Videatur vberima huius rei expositio in KANTII *Relig. innerb. d. Grenzen d. bl. Vern.* p. 61sq. ed. 1. coll. p. 7 et 27.

Expositis his, paucissima tantum de summa viuendi regula, quam isti scripserunt, et de voluntatis regendae modo subiungenda restant. Illam enim regulam cum non absolute ac per se constituisent, sed e primo principio, quod in notione summi boni laet, deriuassent: eadem quoque, quae in isto, in hac desiderantur. Quare notamus modo haec: eam nec absolute vniuersalem, nec satis claram et definitam esse, neque ad omnes causas in vita obuias applicari commode posse. Ambigua quodammodo sunt verba, quibus summum agendi praeceptum exprimitur, et duplici sensu ab ipsis Stoicis adhibentur. Naturae conuenienter viuere, potest intelligi: naturae omnium rerum, i. e. rebus obiectis et conditioni nostrae accommodate agere; vel nostrae ipsorum naturae, h. e. rationi obsequi. Quod vitium tamen in hac causa propterea non adeo vrgendum videtur, quoniam vtraque explicatio fere coniungi sine difficultate potest. g) Necessitatem vero et vniuersalitem absolutam, ita vt ab omnibus agnoscat, idem principium habere nequit, cum sit experientia duce quaesitum. Namque hac via, etsi generalia praecepta inueniri possunt, plane vniuersale tamen non nanciscimur, quod omnes naturas ratione praeditas attingat, et eiusmodi normam agendi praescribat, quae sine vlla exceptione omnibus locis ac temporibus valere possit et debeat. Praeterea non omnia officia ex eo deduci posse, inde patet, quod v. c. vitae inter summas calamitates seruandae necessitatem non videbant Stoici, et certis sub conditionibus caedem sui pro re licita habebant, h) ipsam illam rerum moralium regulam secuti; i) imo de morte commode sibi

C 2

- g) Cfr. GARVE, lib. laud. pag. 85. 86. Vid. supra dicta pag. 8.  
 h) Cic. de Fin. III, 8. Sen. ep. 17. „Si necessitates vltimae inciderint, iam dudum exhibit e vita (Sapiens), et molestus sibi esse desinet.“ Id. de ira III, 15. et ep. 58 et 70. „Si multa occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittit se: nec hoc tantum in necessitate vltima facit, sed, cum primum illi coeperit suspecta esse fortuna, diligenter circumspicit, num quid illo die desinendum sit.“ Cf. Anton. V, 29. similitudine de domo petita: *Et (vulg. και) κατάνους ἐστίν, ἀπέρχομαι.*  
 i) Cic. de Fin. III, 18. „Saepe officium est sapientis, desciscere e vita, cum

inferenda praecepta dabant. k) Tacemus alia philosophis parum digna, quae inter antiquioris Stoeae statuta subinde relata legimus.

Pergimus ad rationes mouendae voluntatis in systemate Stoicorum propositas, nec vero etiam hac ex parte simpliciter eos laudandos esse censemus. Quamquam enim officia saepe commemorant, eaque satis bene definiunt ac probant: causam tamen voluntatis determinandae atque regendae non in his ipsis, sed in eo potius ponunt, ut fortitudinis animi et roboris cuiusdam nobis conscii simus, ut animum supra omnia sensuum incitamenta, infirmae mentis indicia, euehamus. Haec igitur animi constantia velut cardo constituitur, circa quem omnis cogitandi sentiendique opera vertatur. Sic Sapiens animalem hominis naturam transcendat, sibi que ipse sufficiat necesse est: officia aliis imperat, ipse iis non tenetur, quoniam violandae legi non obnoxius est, et quasi in loco cupiditatibus desiderisque ceterorum mortalium inaccessiblelo habitat. l) Hanc vero plus quam humanam perfectionem dum persequendam iubent, eos arrogantiae et superbiae crimine vix liberari posse, quis est, quin videat? Frustra enim facta generosa et excelsa celebrantur, nisi eadem e sincera recti reuerentia prodeant. Haec autem non a propensione quadam naturali et iucunda proficiscitur, sed officii loco iniungitur omnibus. Si quis igitur sola mentis elevatione hoc se effecturum putauerit, ut a legis dictamine liber, recte tamen semper agat, nulloque amplius officio adstrictus, sua sponte a prauo vbique absteat: plus sibi tribuit, quam homini per naturam suam concessum est, atque hac ipsa virtute heroica et ideali sectanda legis sanctitati non satisfacit. Quare improbandus est ille Stoicorum ἐνθεουσιαισμός moralis, quoniam vero et haud fucato recti studio derogat.

fit beatissimus, si id *opportune* facere possit: quod est, naturae conuenienter viuere.“

- k) Sen. ep. 58. — Constat inter omnes, quam contemtim illa philosophorum secta saepe locuta sit de vita; vti Sen. in Consol. ad Marciam, ad Helviam etc.
- l) Conferantur, quae de Stoicismo paucis monuit MELLIN in libro: *Encyklop. Wörterbuch d. krit. Philos.* Vol. I. P. 2. sub v. *Christenthum*.



Quod si ea, quae hactenus fufius sunt expofita, paucis comprehendere placet: vituperanda in Stoicorum doctrina de moribus haec sunt: *primum*, quod ad nexum systematicum attinet, eos, ritim falſa via ingreſſos non formale, ſed materiale morum principium conſtituiſſe, partim virtutis et felicitatis notiones permilcuiſſe; *deinde*, ſi ſpectamus pretium praeceptorum moralium ab iis propoſitorum, virtutem eam, quam commendant, nec ſatis puram, neque hominis naturae omni ex parte accommodatam eſſe. Quamvis igitur permulta ſunt, quae recte viderint Stoici, et pleraque vitae praecepta modo facili ac plano e ſummo illo principio derivantur; quamvis et ad mores formandos conſtantiamque animi efficiendam multum profuit haec doctrina: tamen ei neque veritatem neque uſum practicum omnino concedere poſſumus.

At vero ſatis diu habitauimus in Stoa: tranſeundum iam eſt ad Chriſti diſciplinam. Hanc ut penitus cognoſcamus, videbimus ante omnia, quatenam Ieſus et Apoſtoli fundamenta iecerint, quibus innitantur omnia ipſorum de moribus praecepta. Eos quidem *ſummum morum principium* non ſemper ipſis verbis enuntiaſſe, eoue ita uſos eſſe, ut ſingula officia inde deriuarent, nemini mirum videri poteſt, qui ad eorum conſilium (quod profecto erat in tradendis populari modo recte agendi praeceptis) animum attenderit, atque ſibi perſuaſerit, ſatis eſſe hoc, ut ipſa principia cum ſummo aliquo ubique conueniant. Verum adſunt etiam in N. T. loca minime dubia, in quibus Chriſtus rem, quam quaerimus, haud obſcure ſignificauit. Praeceptum de ſummo erga Deum amore vocatur *primum* et *maximum*; m) et huius par dicitur eſſe praeceptum de aequali in alios ac noſmetipſos amore.

m) Πρώτη και μεγάλη εντολή. Matth. 22, 35-40. Luc. 10, 25-28. et Marc. 12, 28-31 ubi hoc de utroque illo praescripto ſubiungitur iudicium: *Μείζων τούτων άλλη εντολή ουκ εστι.* Ceterum nequaquam contendimus, Chriſtum vel hoc vel vlllo alio principio morum ſummo, *quali*, uſum eſſe: id, quod omnino a popularis inſtitutionis natura abhorrere videtur.

Haec duo praecepta, e lege Mosaica desumpta, Christus disertis verbis suae morum doctrinae fundamenti loco substruit, eaque spectat tamquam complexum omnium, quae de vita regenda doceri possint. n) Apostolos idem sensisse, intelligitur e plurimis locis, ubi vel ad utrumque vel ad alterutrum amoris genus, veluti legem primariam, Christianos remittunt, atque obedientiam ei praestandam praeter ceteris inculcant. o) Per amorem in Deum vero, quod est praecipuum in hac causa, non indicari illam animi propensionem, qua eum, ut rem amabilem, imo sensu et affectu complectamur: apparet iam partim exinde, quod non plane in nostra potestate situm est, hoc studium, hunc affectum in nobis excitare, ideoque frustra eiusmodi quid nobis officii loco iniungeretur; partim quod talis amor, si iustos excesserit fines, virtuti obesse potius quam prodesse solet; p) denique quod sic omnis virtus tandem in nostrae ipsorum felicitatis studio ponetur, siquidem Deum modo propterea sensu amamus, quoniam nobis bene vult, nostrisque commodis ex voto prospicit, nulla sanctitatis sapientiaeque divinae habita ratione. Quae quidem omnia longe aliter in S. S. proponuntur. Ex ipsis enim Christi eiusque discipulorum effatis, non simpliciter impetum quandam naturae et animi propensionem, nec gaudium de Deo ac beneficiis divinis sensu perceptum,

n) Matth. 22, 40. ὁλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται haec verba proxime quidem innuunt religionem Iudaicam, sed ita tamen a Christo adhibentur, ut se idem docere declaret: id quod patet etiam e dicto statim responsoni legisperiti addito: Οὐ μακράν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ.

o) Gal. 5, 14. dicitur tota lex (quippe ea ex parte, qua officia aliis praestanda continet) in hoc vno absolui, ut alios aequae ac nos ipsos amemus. Idem ter affirmatur Rom. 13, 8-10.

p) Quantum ea in re peccauerint, qui fanaticorum et mysticorum nomine inter Christianos insigniuntur; quam graue hi attulerint verae pietati detrimentum, cuncta ad intimos et feruidissimos animi sensus reuocantes: historia religionis nostrae abunde comprobauit. Id ipsum tamen, ubi res ad sensus redit, vix poterit vitari, praesertim cum illud religionis Christianae praeceptum, simulac veram amoris indolem negligimus, ad efficiendam perfectiorem virtutem hoc suadere videatur adiectis verbis: ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ σου etc.

sed animi indolem a voluntate pendentem et actionem praecipientibus, q) satis luculenter euinci potest, intelligendum esse amorem, qui re et facto, h. e. obsequio legi diuinae praestando sese exserat. Sic affirmat Christus, ab eo, qui ipsius praecepta admittat et exsequatur, se vere amari; r) idemque de suo in Patrem amore statuit, vt cum veneratione numinis et obedientia ad idem redeat. t) Itaque amor ille, quem postulant, e sanctitate voluntatis ac legis diuinae originem ducit, et in studio indefesso ad similitudinem cum Deo propius accedendi conspicuus redditur: hinc eodem referenda sunt ea, quae de imitatione eius monentur. v) Ex hac notione etiam vltro apparet, cur Dei amor amor rerum terrenarum, s. commodorum et voluptatum studio opponi soleat: x) siquidem, qui sensibus vnde deditus est, is Deo obedire nequit. Quae cum ita sint, persuasissimum nobis est, amorem erga Deum ex mente Christi cerni in animo prompto ad consilia diuina promouenda, s. ad obsequium voluntati sanctae praestandum; et exigi hoc praecepto absolutam summi legislatoris moralis reuerentiam.

- q) Nec aduersatur huic sententiae locus 1 Io. 4, 19. monens, Deum redamandum esse, quoniam prior nos amauerit. Nam, cum in summo numine affectus vllus cogitari nequeat, amor eius in homines vnice cernitur in benevolentia morali; qua virtutem eique accommodatam felicitatem omniam ratione praedictorum tamquam summum finem consiliorum et institutorum suorum, in specie per Christum, spectat et exsequitur. Quare etiam amor reciprocus, qui ei deberi dicitur, nihil aliud potest esse, nisi animus ita compositus, vt Dei consilia pro virili promouere studeat: id quod solummodo fit obedientia praeceptis diuinis exhibenda. r) Io. 14, 21. et 15, 10.
- s) Io. 15, 10. coll. 14, 31. t) 1 Io. 5, 3. Cf. c. 2, 3-5. et ep. 2, v. 6.
- v) „Studeatis perfectioni (morali, h. e. sanctitati), qua gaudet Deus.“ Matth. 5, 48. „Operam date sanctitati, quoniam ego sanctus sum.“ 1 Petr. 1, 15. 16.
- x) 1 Io. 2, 15. Per κόσμον et τὰ ἐν τῷ κόσμῳ haud dubie indicantur partim commoda externa et voluptates, quatenus iis iritantur pravae cupiditates, partim ipsa prauitas.

De natura amoris erga alios idem fere valet, quod supra monuimus. Cum enim altera ex parte iam instinctu quodam a natura dato ad homines amandos feramur, ex altera vero non plane liberum nobis sit, quosnam et quanto eos amore amplecti velimus: nec opus erat, pathologicum, quem vocant, amorem commendari, cuius vis quaedam ad legem exacta ne potest quidem officii loco nobis iniungi. Itaque amor ille mutuus, quem Christus et Apostoli a nobis poscunt, vera aliorum obseruantiam et aestimatione nitatur necesse est. Hanc hominum obseruantiam, quae ipsa e reuerentia legis moralis sequitur, vt in sinu suo foueant, eique accommodate illos vbique tractent, omnibus omnino praescribi recte potest. Atque hoc sensu optime praecipitur, inimicos quoque ac maleuolos diligendos esse, y) quippe qui et ipsi qua homines mereantur, vt bene in eos animati nihil, quo dignitati humanae derogetur, committamus. Hoc igitur praecepto docetur, omnes homines a nobis ita considerandos esse, vt qui sua ipsorum causa adsint; et sic postulatur, vt aliorum consilia tamquam nostra ipsorum spectemus et exsequamur, eorumque felicitatem pari, qua nostram, cura efficere et augere studeamus. Amor enim, quo in nosmetipsos affecti sumus, amoris erga alios mensura quasi statuitur: nimirum vtriusque par ratio est, causaeque rei repetenda e dignitate hominis, quatenus ratione atque libera voluntate praeditus et ad colendam virtutem idoneus est: qua quidem ex parte omnes eodem gaudent pretio a natura indito. z) Id Christus etiam nobilissimo illo indieat dicto, quod, modo recte intelligatur, fons et principium omnium officiorum mutuatorum vocari potest: „Quemadmodum vultis, vt alii vobiscum agant, eodem modo illos tractare.“ a) Pari sensu

y) Matth. 5, 44 sqq.

z) Idem in doctrina Christiana vario modo declaratur, veluti: vnum nobis omnibus esse patrem; cunctos ab vno Deo creatos; eademque instituta esse in commodum aliorum, quae nostrae salutis causa instituta sint; Christum ex benigno Dei consilio omnibus natum, mortem eius omnibus salutiferam, doctrinam omnibus destinatam esse. 1 Tim. 2, 1-6. Matth. 18, 10. 11. Eph. 4, 3-6 et 25. 2 Petr. 1, 4. 27.

a) Matth. 7, 12. Luc. 6, 31.

su Paulus iubet, ne quis sua tantum commoda in agendo proposita habeat, vt potius aliorum vtilitati studeamus. b) Quare amor erga alios nihil aliud est, nisi pura illa, et nulla commodorum spe nixa, beneuolentia in homines, eadem ac nos dignitate conspicuos, pari consilio creatos, nobisque vinculo fraterno iunctos. — Arcissime vero cohaerere hoc praeceptum cum superiori, inde apparet, quod amor Dei in veneratione numinis optimi et maximi, atque in constanti obsequio sanctae eius voluntati praestando continetur, neque huic satisfacere possumus, nisi ipsius consilia ad efficiendam communem omnium hominum salutem capta, quantum in nobis est, promouere, summamque eius benignitatem imitari conemur. Hinc Apostoli, in primis Ioannes, vtrumque ita solent coniungere, vt alterum alterius quasi causam et conditionem ponant. c) Duo haec praecepta, quibus simul tertium de nostrum ipsorum amore inest, indivulso nexu copulata, vnum constituunt principium summum; cui tanquam fundamento omnis ethices Christianae structura innititur. Quod si autem singularem cuiusque vim distincte eloqui placuerit, dicendum erit: priori obedientiam sanctae voluntatis legi debitam sic requiri, vt haec nostrae voluntati, saepe sensibus deditae, opponatur, eoque ad vnum omnia officia comprehendere; posteriori rationem agendi rectam et honestam propius indicari, vtpote quod moneat, cunctos homines, quatenus rationis sint participes, sua ipsorum causa adesse, ideoque obseruantia et cura nostra omni tempore dignos esse. Quae si ad vnum reuocentur, non video, quid impediatur, quo minus supremum doctrinae morum Christianae principium his verbis efferatur: Ipsam rationis vim maximi habendam esse et vnice verendam, siue tu illam in natura Dei contempleris, seu in aliis hominibus quibuscunque atque in te ipso spectes. Hoc autem dicto, siquidem facultas rationis rectae

b) Phil. 2, 4.

c) 1 Io. 4, 7. 8 sqq. — v. 20. *mendax* adeo vocatur is, qui, cum sui similibus officia debita recuset, gloriatur tamen, se Deum amare. Vnde etiam intelligitur, cur omnino tot ac tantae laudes amori in N. T. tribuantur: v. c. Io. 13, 34. 35. 1 Io. 2, 9. Io. c. 3, 14. c. 4, 7. 1 Cor. 13, 1. vel potius toto capite.

eadem est cum dignitate naturae moralis, ipsa legis moralis reuerentia exigitur.

Iam vero negari quidem nequit, Christum et Apostolos, ubi ad recte agendum exhortantur, saepe ad voluntatis diuinae auctoritatem simpliciter prouocare. Sed, cum praeceptis Christi ipsa etiam religionis doctrina, eaque reuelata, proxime iuncta, imo ubique implexa sit, non mirabimur, leges morales nobis in sacris literis tamquam iussa Dei, a summo numine, nullo principii cuiusquam (rationis nimirum) interuentu praefecta, nude proponi. Neque hoc abesse potest a veri nominis religione, ut officia nostra tamquam praecepta diuina agnoscamus et exsequamur: qua quidem re puritati eorum, quae per se rationis et conscientiae vi confirmata sunt, nihil detrabitur. Ceterum nec hoc praetermittendum est, Deum in N. T. nusquam sibi dominum pro arbitrio iussa sua distribuentem; neque causam obligationis nostrae ex eius iussu repeti, sed e voluntatis ac legis diuinae sanctitate. d) Alioquin non opus fuisset monere, ea, quae Deus velit, non posse non ex ipsius rationis humanae iudicio optima esse et honestissima.

Sufficiant haec de re grauisissimi momenti, quam latius pertractari vetant huius libelli angustiae. e) Sequitur, ut de summo ethices Christianae principio, si cum Stoico comparetur, nostram qualemcunque sententiam feramus. Praestat autem illud, quantum intelligimus, primum eo, quod non est materiale. Vidimus enim, Stoicorum principium, ab experientia ductum, tandem necessario, certe ubi

d) Rom. 12, 2. *Θέλημα Θεοῦ* vocatur *ἀγαθόν* et *τέλειον* vocatur etiam *ἰσχύειον*, h. e. summae eius sanctitati consentaneum. Conf. Rom. 2, 14. 15. ubi Ethnici, scripta lege destituti, rationis et conscientiae dictamine, legis locum tenente, de honestate edoceri et ad eam sectandam impelli dicuntur.

e) Vid. quae super hoc argumento copiose scripsit SCHMID: *Ueber d. Geist d. Sittenlehre Jesu u. s. Apostel*, Ien. 1790. p. 204 sqq. et *Christl. Moral wissenschaftlich bearbeitet*, Vol. I. Ien. 1797. p. 300 sqq. Hic vero p. 537. negat, quod in priori libro (ut nobis quidem videtur, recte) affirmauerat, tribus illis de amore praeceptis confici vnum idque summum ethices principium.

rem systematice persequimur, ad felicitatis studium reuerti. In Christiano contra animus recte compositus, non habito eius, quod inde effici queat, respectu, commendatur, nihilque plane instinctus et propensionum naturalium arbitrio relinquitur: neque enim e desiderii humanae naturae, quatenus haec a sensibus pendet, petitum est, nec felicitatis propriae curam loco necessitatis moralis proponit; verum legem <sup>f)</sup> absolutam, firmam per se atque inuiolabilem scribit. Idem principium porro vniuersale esse ac sine vlla exceptione valere, ex modo dictis iam quodammodo elucet; et, quanto cum fructu ad omnes causas in vita obuias possit applicari, multiplex plurimum seculorum vsus docuit, et exempla eorum, qui doctrinam Christianam methodo systematica tractarunt, etiamnum satis confirmant. Stoico igitur propterea quoque praefendum est, quod singularia officia, quorum causa reddenda quaeritur, exinde aptius deducuntur. Ad iungi denique potest, huic et perspicuitatis et popularitatis laudem deberi. Quam indefinita et fere philosophis tantum scripta fuerit Stoeae regula summa, res ipsa loquitur, et supra notatum est: Christi lex autem ab indoctissimo quouis et omnis subtilitatis experte recte percipi atque in vsum conuerti potest, eaque, sicuti vniuersa eius doctrina, summi magistri artem, res grauissimas ac saluberrimas oratione ad vulgi captum accommodata tradendi, egregie testatur.

Iam, si de summo vitae morumque instituendorum principio inter nos constat, requiritur ad iustam virtutis Christianae notionem constituendam, vt etiam *rationes*, quas *mouendae voluntati* aptas et necessarias perhibuerunt Christus atque Apostoli, paucis exponamus. Minime vero ad virtutem e mente Christi hoc sufficit, vt legi convenienter agamus, sed omnis rei cardo vertitur in animo agentis, nimirum in reuerentia legis sanctae et sincera Deo obsequendi voluntate. Hic est animus ille *pius*, quem Christus vult omnibus suae do-

D 2

f) Haec lex summo morum principio a criticae philosophiae Auctore prolato, maxime ex secunda huius formula, exacte respondet. Cf. KANT. in *Grundlegung z. Metaph. d. Sitten*, p. 66. ed. 3.

Arinae sectatoribus inesse. g) Idem haud dubie innuitur per πνεῦμα Θεοῦ et Χριστοῦ ἁγίου, vbi de hominibus Christianis sermo est; nempe animus Dei et Christi animo similis, h. e. recti amantissimus: quae in re omnis Christianorum laus et praestantia collocatur, adeo vt eorum actiones inde demum, quod ex hoc fonte manauerint, verum aliquod pretium nanciscantur. h) Sic a virtute remouentur cuncta, quae e spe metuque, e gloriae cupiditate, aut commodorum et voluptatis studio originem trahunt. i) Paulus e. g. Romanos ad obedientiam magistratibus debitam cohortatus addit, parendum esse non solum propter poenas secus facientibus metuendas, (quae quidem a callidis per saepe eludi et vitari possunt) sed maxime propter conscientiam, siue persuasionem de officio. k) Idem fere apparet e praecepto coetuum Christianorum doctoribus et antistitibus dato, vt non coacte, sed vltro, non turpis lucri et imperandi aliis cupidine incenssi, sed parato ad officium animo muneri suo satisfaciant. l) Ita etiam serui de sincero ac prompto dominorum obsequio admonentur, et cogitare iubentur, se non solis hominibus, sed ipsi Deo et Christo seruire. m) Praeterea docetur, secundum intima animi sensa et studia iudicium

g) Μανάρεισι ὅτι καθάραι τῆ καρδίᾳ! Matth. 5, 8. coll. c. 6, 1 sqq. c. 12, 34. 35. et Luc. 21, 1-4.

h) Facta ex animo recti studioso nata vocantur καρπὸς πνεύματος, Gal. 5, 22. conf. v. 16-18. et Rom. c. 8. totum, vbi sensus rectus et e meliori Dei notitia susceptus indicatur v. 5. per τὰ τοῦ πνεύματος φρονεῖν, et v. 6. φρόνημα τοῦ πνεύματος.

i) Matth. 5, 46. 47. et II. supra laud. coll. Luc. 6, 32. 34.

k) Rom. 13, 5. Idem Apostolus pluries affirmat, veram animi tranquillitatem sibi non e prudentia in docendo et agendo conspicua, neque ex hominum de ipsius factis opinione ac iudicio, sed vnice ex animo recte factorum conscio et haud fucato voluntatis diuinae amore reddundare. I Cor. c. 2. toto, et 2 Cor. 1, 12. l) I Petr. 5, 1-3.

m) Eph. 6, 5-7. Locus, qui luculentissime ostendit virtutis Christianae notam vnice certam, in animo simplice et sincero (ἐν ἀπλότῃ τῆς καρδίας), recti et honesti studioso atque ad exsequendum officium prompto (ὡς δούλοι τ. Χριστοῦ — ποιῶντες τὸ θέλημα τ. Θε. ἐκ ψυχῆς μετ' εὐνοίας) positam!



commune olim futurum esse. n) Quantum his in statuendo hominis pretio morali tribuatur, patet quoque e dicto Iacobi nobilissimo: qui, totam alioquin legem seruans, vnum eius praeceptum (sciens ac volens) migraverit, hunc pari cum eo culpa laborare, qui vniuersam violauerit. Haec verissima dicta, dummodo agentis animum respiciamus (vnde solum de eo, quid meruerit, iudicium peri potest) subiuncta causa satis confirmantur: quippe quoniam vno illo admissio ipsi legi eiusque auctori debita negatur reuerentia. o) Quid, quaeso, apertius his verbis dici potest ad declarandam doctrinae Christianae indolem, qua hominis vel dignitas moralis vel indignitas non nisi e bona aut mala voluntate, e sanctae legis aut obseruantia sincera aut contemptu pendet?

Quod si quis modo dicta diligentius perpendere voluerit, his paucis iam haud difficili negotio sibi persuadebit, purum ac liquidum esse virtutis Christianae fontem. Verum, ne hunc in vniuersum tantum et vage indicasse videamur, inspiciamus ipsas illas voluntatis determinandas causas, quas N. T. auctores subinde commemorant. p) Ac primum quidem crebro ad voluntatem diuinam prouocant: q) nec vero, si alia loca comparaueris, dubium est, quin tum sanctitatis notio semper iam sumatur, cui illam necessario consentientem cognouerit communis hominum sensus; ita vt hoc non pro vnico ac summo ad recte agendum incitamento, sed pro grauiori inuiolabilis praecepti commendatione habendum sit. Deinde autem ex ipsa lege, cuius nempe cogitatio iam obsequium nobis iniungat, officia deriuantur. r) Praeter auctoritatem legis, communis parendi necessitas et vniuersa societatis humanae salus argumentorum locum tenent. s) Porro e natura peccati, qua prae facta cum indole genuina et consiliis hominum pugnant, vi-

n) 1. Cor. 4, 5. occultissima quaeuis et quasi alta caligine tecta olim a Deo in lucem protrahenda (*Φωτίσει τὰ κρυπτά τοῦ σκότους*), et ima animorum consilia recludenda (*Φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν*) esse dicuntur. o) Iac. 2, 10. 11.

p) Prolixius de hac re egit SCHMID in libro: *Ueber d. Geist d. Sittenlehre Jesu u. f. Ap.* pag. 388 sqq.

q) Matth. 7, 21. Eph. 5, 10. 17. 1 Petr. 2, 15. 1 Theff 5, 18. etc.

r) Gal. 5, 19-23. Phil. 4, 8. s) 1 Cor. 12, 7-27. Rom. 13, 1 sqq.

tandi causa repetitur. t) In his et similibus latet notio legis absolutae et vniuersalis, voluntatis diuinae, et internae agendi necessitatis. Alias vero aperte principium illud substruitur, agendum esse sic, vt nec nostram neque aliorum dignitatem vilo modo laedamus. v) Insuper vitia cum seruitute, virtus cum libertate hominis comparantur. x) Quae quidem Christianorum libertas, saepe ab Apostolis commemorata, cernitur in eo, vt animi propensionibus et cupiditatibus illicitis rationis ope imperemus, voluntatemque sapienter regamus. y) Pari sensu etiam verus Dei cultus, z) vita Christiana religione digna, a) regnum Dei et Christi, b) nec non vtriusque c) exemplum hanc in rem nominantur, vt officii memoria et sensus animis nostris altius infigatur. Denique nec summum virtutis pretium in huiusmodi admonitionibus praetermittitur: omnes enim res humanas ac terrenas, interno pretio destitutas, tantum valere, quantum ad consilia nostra perficienda conferant; esse eas caducas, et possessori suo ne minimum quidem dignitatis impertire: honestatem contra per se vero atque aeterno pretio excellere, summamque hominis dignitatem efficerent. d) Neque etiam in causa nostra silentio transeundi sunt ii loci, in quibus, quid agendum sit; simpliciter praecipitur, non addita obligandi ratione. e) Id si quis eo nomine reprehenderit, quod quasi pro arbitrio facienda omittendaue praescribantur, is parum assecutus esse videtur vim simplicis praeccepti, quae in eo est, vt satis sit officii mentionem fecisse, cum nemo non idem legi rationis consentaneum esse intelligat.

At vero (audio multorum voces) nonne Christus et Apostoli praeter pura haec argumenta saepe etiam talibus vsi sunt, quae sensus feriant, et excitandis spe metuae animos ad officia exsequenda impel-

t) Iac. 3, 9. Eph. 5, 28-30. v) 2 Petr. 1, 4. Eph. 4, 24. 25.

x) Io. 8, 34. 36. Rom. 6, 12 sqq. y) 1 Petr. 2, 11. 12.

z) Col. 3, 23. Rom. 12, 11. a) Eph. 4, 17 sqq. c) 5, 3.

b) Eph. 5, 5. 2 Petr. 1, 3 sqq. 1 Cor. 6, 9 sq.

c) Vid. loc. supra indic. Matth. 5, 48. 1 Petr. 1, 15. 16. et Phil. 2, 5. etc.

d) Matth. 6, 19. 20. 1 Tim. 6, 6-11. 1 Io. 1, 6. c. 2, 17. et aliis locis quamplurimis. e) Matth. 5, 20-44. Phil. 2, 1-4. etc.

lere possint? Vñ his sunt; minime rem negamus. Sed primum omnes naturae humanae bene gnari hoc, puto, nobis dabunt, homines plane rudes et sensibus mancipatos, quales magna ex parte erant a Iudaeorum et Gentilium sacris ad Christianam religionem recens transgressi, non ab initio statim sincero et puro virtutis studio imbuti posse, sed ante omnia ad actiones legi consentientes adigendos esse. Facilius enim et certius pueros, quorum aetas alioquin vitae e dictamine rationis gerendae impar est, non proposita praemiorum oblectationumque spe aut poenarum comminatione, sola honestatis et turpitudinis nota crebro fortiterque iniuncta cum successu reges et a peccatis auocabis, quam homines adultos, quorum ratio appetitibus feruire consuevit. Vt igitur sensui meliori via ad animum pateret, frangenda antea erat cupiditatum, erroribus atque diurina consuetudine obfirmatarum, nociua vis, suppeditandis eiusmodi rebus, quibus melius exercerentur sensus, et ad obsequium rationi praestandum paulatim perducerentur. Quare iis in causis potissimum, vbi magnae hominum vitiositati occurrendum erat, exinde praesidia petierunt. f) Deinde rarissime illi huius vitae commoda et damna afferunt, sed futuram potius post mortem felicitatem et miseriam; quae partim non tanta cupiditate tantou horrore, quantis spes terrenarum voluptatum et iacturae faciendae periculum, hominum animos afficere solent; partim nusquam ira definiuntur, vt earum natura perspicere et deleniendis sensibus inservire possit, verum in vniuersum modo recte vel prae agentibus certissime expectanda proponuntur. g) Accedit, quod has rationes saepe eatenus tantum praecipitis adiunxerunt, quatenus omnes omnino homines iis, futurae in primis post hanc vitam compensationis fiducia, ad vincendos appetitus contra legem nitentes carere nequeunt; nec enim eas sic exhibent, vt voluntatem hominis vere et plane moveant, et ad recte faciendum impellant, sed vt nos ad superanda difficillima quaeque virtutis impedimenta incitent, animumque augeant. h) Id nisi fiat, sola officii recordatio vix sufficiet hominibus, qui sensuum illecebris quotidie tentantur, praesertim tum,

f) Matth. 23, 13-38. Iac. 4, 1 sqq. g) Hebr. 10, 26-39. 2 Petr. 3, 3-14.  
h) 1 Tim. 6, 6-19. Iac. toto c. 5.

eum ingens aliquod commodum officio posthabendum, blandissimum voluptatum genus contemnendum, anceps periculum strenue subeundum erit. Ut autem magis perspicuum fiat, virtutem a Christo omnino non solo felicitatis inde sperandae nomine commendari, attendamus ad locum notatu dignissimum Luc. 17, 10. cuius haec sunt verba: „Si omnia feceritis, quae vobis praecepta sunt, fateamini, vos esse homines nihil promeritos; i) vos ea tantum fecisse, quae debebatis.“ His verbis, quae paulo duriora videntur potius, quam vere sunt, indoles hominis probi, non commodorum et fauoris alieni spe, sed absoluto honestatis pretio nixa, optime declaratur. Qui enim existimauerit, se recte agendo quidquam mereri et a summo iudice mercedis loco exigere posse, nec officii, sed remunerationis quasi debitae ratione habita, praescripta seruauerit: is a virtute Christiana longe abesse putandus est. k) Quibus recte perpensis, elucere putamus, Christum et Apostolos argumentis hisce ac velut stimulis, quibus sensus hominum commouentur, nusquam principem inter voluntatis regendae praesidia locum concessisse, nec omnino iis ad procreandam quasi et efficiendam virtutem, (quod nullo plane incitamento externo, verum libere volendo vnice fieri potest) sed partim ad praeparandos rudium vitiisque deditorum animos, partim ad corroborandum sensum meliorem et augendam in oppugnandis innumeris verae honestatis difficultatibus fortitudinem vlos esse. l) Quare, naturae humanae desidia

- i) *Δούλοι ἀργεῖοι* proprie sunt serui, qui domino nihil vtilitatis attulerunt; igitur qui, cum nihil praeter debitum seruitium praestiterint, nullo iure praemia factorum suorum postulare possunt.
- k) Confer parabolam de hominibus in vinea opus facientibus; qua cupiditatem mercedis moderari studet Christus, Matth. 20, 1-16. et oppositum Pauli animum 1 Cor. 9, 16-18.
- l) Nec silentio praetermittendus est locus ille celebratissimus Matth. 25, 34-46. vbi descriptio viuuda iudicii extremi videtur quidem ad auditorum animos fortiter commouendos composita esse, verum eadem ramentum propositis exemplis eorum, qui se praemio dignum quid peregrisse ignorant, neque id sibi sumere audent, illustrando vero pretio morali e Christi mente optime inferuit. Qua de re cf. *KANTIVM in Religion innerh. d. Gr. d. bl. Vern. ed. 1. p. 231.*

deria bene cognita habentes, ubi recta et honesta suadent, contrariaque damnant, simul utrorumque effecta subinde afferre solent, ut in discrimine pugnae animus hominis illis in memoriam reuocandis erigatur, confirmetur, et ad persequendum iustum vitae tramitem acriter excitetur.

Priusquam autem hanc dissertationis nostrae partem missam faciamus, nostrum esse videtur, etiam sententiae de voluntatis humanae libertate mentionem iniicere, quia, hac sublata, ipsa tolleretur virtus, et frustra dicta forent, quaecumque haecenus in laudem ethices Christianae monuimus. Quamquam igitur in tradendis populari methodo recte viuendi praeceptis locum non habent subtiles illae, quae philosophis omnium fere temporum disceptandi largam praebuere materiem, de libertatis natura et originibus quaestiones: dubium tamen non est, quin ea in scriptis N. T. constanter sumatur, ceteraque cuncta de moribus capita ei superstruantur. Nisi enim absoluta hominis libertas statuatur, ut ipse spontaneus actionum suarum auctor sit: quo tandem modo omnia, quae sciens ac volens fecerit, ei impunita dicantur? quod quidem in SSA factum esse, nemo non videt. Praeterea varia Christi et Apostolorum effata libertatem sic describunt, ut moralem intelligendam esse facile appareat. Nempe ab illis passim in eo ponitur, ut ab omni coactione, quam cupiditates nobis forte inferre queant, non pendeamus, sed boni honestique vi quouis tempore ac loco ad agendum perducere possimus. Seruitium contra ab iisdem ea appellatur animi conditio, ubi mala voluntate sensuum et desideriorum imperio nos submisimus. Itaque nec dubitamus contendere, notionem libertatis moralis, remota omni subtilitate scholastica, in N. T. ita expositam esse, ut summis rationis principis ex asse satisfaciat.

Nolumus iam ad constituendum vtriusque morum doctrinae, de qua agimus, pretium, sententiam de voluntatis regendae rationibus

m) Eximie Paulus vitiositatem humanam, qua fit, ut appetitibus quam rationis legi obedire malimus, depinxit Rom. 7, 14-25. Cfr. c. 6, 12-22. Io. 8, 31. 32. 34. 2 Petr. 2, 19.

in systemate Stoicorum obuiis antea latam multis repetere. Vidimus, eos, magnifice de virtute sentire et splendidissima dicta iactare solitos, causam tamen determinantem (quae vocatur) non in legis sanctitate, sed in mentis nescio qua elatione reposuisse, qua sedulo commendanda modestiam adeo, ingenui animi indicem ac testem, et indiuulsam verae virtutis comitem, interdum laedere, et interiori officii obseruantiae ac reuerentiae nonnihil damni dare videntur. Quae cum longe aliter se habeant in Christianae doctrinae commentariis, persuasissimum nobis est, illa, quae hanc in rem a Iesu eiusque discipulis statuta et tradita modo retulimus, istis Stoa decretis et puriora et naturae humanae longe aptiora esse.

Sed tractandum restat *tertium*, quod et ipsum maximi ad intelligendam virtutis Christianae praestantiam momenti est; illud quidem, vnde Stoici omnem de moribus philosophiam exordiri consueverant: vt quaeramus de rationis obiecto s. fine ultimo, quem *summi boni* nomine insignire placuit philosophis. Iam secundum Christi doctrinam finis ille primarius ac supremus, quo contendere debeant vniuersa hominis studia et molimina, cernitur in sanctitate s. summa perfectione morali: hanc nequaquam ideo solum, quod felicitatis comparandae via sit et adminiculum, sed absque vlla alia conditione propter absolutum ipsius pretium sectari iubemur. Eadem vero institutio statum prosperum virtutis studiosis pollicetur. Docet enim, huius vitae tempore iam liquida gaudia in mente recti sibi conscia inuenienda esse: n) cumque haec felicitatis pars et ob communem hominum vitiositatem admodum manca sit, et, si vel fuerit perfectissima, ad explenda naturae desideria minime sufficiat; ad sublimiorem illam et sine carentem, post mortem demum habita verae honestatis ratione expectandam, cultores suos remittit. o) Nusquam igitur in N. T. libris sola felicitas, sed coniuncta semper cum virtute et ex huius mensura ac modo definita, tamquam summum illud et extremum, quod homini Christiano petendum sit, proponitur. p) Cum autem laeta

n) 2 Cor. 1, 12. 1 Io. 3, 21. 22. o) Matth. 25, 21 sqq. Luc. 18, 9-14.

p) Tit. 2, 11-14. Idem constanter summum mortis Christi perhibetur

plane ac prospera vitae conditio neque ipso sanctitatis studio, cui cum felicitate non naturalis quidam et necessarius intercedit nexus, neque ullis viribus humanis effici possit: a sancto et benigno mundi auctore atque gubernatore, cuius et potentia nullis omnino circumscripta sit limitibus, loco praemii pietati assiduae tribuendi, olim speranda declaratur. Nostrium itaque est curare, ut digni felicitate euadamus: huius ut reddamur participes, a summo numine vnice pendet. Sic fidei religiosae, quae Deum, animique humani immortalitatem attinet, locus datur, imo haec sola est, qua admissa sperare liceat, fore, ut consilio, quo nati sumus, vnquam satisfaciamus, et sortem dignitati morali accommodatam obtineamus. Vnde intelligitur, cur Iesus et Apostoli tantum illi tribuant, eamque ut rem maxime necessariam discipulis suis commendent et iniungant: q) nimirum quoniam fides in Deum et Christum, s. persuasio de praeceptorum, dogmatum et promissorum religionis Christianae veritate, e mente recti studio nascitur, eamque egregie alit et adiuuat. Namque in veri nominis fide voluntas emendandi animi iam sumatur, r) eademque virtuti nostrae promouendae inseruiat necesse est. Qua quidem in re summa fidei praestantia apparet, quod non tranquillando tantum homini, sed excitando etiam ad strenue in via coepta pergendum idonea est; quid? quod, illa sublata, sanctitatis studio ne possumus quidem constanter operam nauare. — Insuper Christi de summo bono sententia luculentissime effertur dicto illo, quod Matth. 6, 33. legitur. Quid enim hic per βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, quae et β. τοῦ Χριστοῦ

## E 2

consilium, 2 Cor. 5, 15. Tit. 2, 14. 1 Petr. 1, 18, 19. etc. Vid. S. Vener. NITZSCANI Progr.: *De consilio moris Christi summo.*

- q) Hebr. 11, 6. Cfr. Iac. 2, 17 sqq. vbi fidei pretium negari videtur, sed superstitionis modo fiducia occurritur. Veram illius ac virtutis relationem optime constitutam existimamus dicto Paulino 1 Cor. 13, 13.
- r) Dum enim emendationi studium nostrum dicamus, sentimus demum, nos illa fide egere. Hinc Christus eos modo ad doctrinam ipsius amplectendam promptos esse dicit, qui iam velint Deo obedire, et quibus virtus curae cordique sit, Io. 8, 47. c. 10, 26. 27. c. 18, 37. quod indicatur verbis: ἐν Θεῷ et ἐκ τῆς ἀληθείας εἶπας.

et τῶν οὐρανῶν etc. saepe appellatur, aliud intelligas nisi ideam mundi s. reipublicae, cuius ciues ea sint animi indole, eaque vitae conditione, qua per religionem Christianam ex auctoris consilio esse debent? s) Qualis vero innuatur animi indoles, additis verbis καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ elucet: nempe, vt virtutem Deo probatam s. sanctitatem perpetuo sectentur, idque πρῶτον, relictis omnibus et imo pectoris sensu faciant. De felicitate (proxime quidem locutus erat de terrena, eiusque curam anxiam damnauerat) follicitos esse vetat Christus discipulos suos: hanc enim aliunde iis impertitum iri, cum ipsi naturae rerum nequaquam imperare possint. Dummodo tota mente sese verae pietati dederint, nihil amplius causae superesse, cur vota eorum et desideria angustis coëreantur finibus, nec quidquam impedire, quo minus iis olim omni ex parte satisfiat. Pari modo ab Apostolis notio de regno Dei adhibetur, et ad incitandos aequae ac erigendos consolandosque hominum animos in vsum conuertitur. t) — Itaque prima et suprema boni summi pars in Christi doctrina statuitur sanctitas, estq. studium nostrum hanc nullo vnquam tempore plane assequitur, sed in eo tantum elaborat, vt infinito progressu propius in dies ad istam metam propositam accedamus, ideoque in constanti virtute sit conspicuum: altera, ad consummandum vltimum hominis finem itidem necessaria, priori tamen subiecta, sumitur beatitas, h. e. felicitas perfecta et e causis fortuitis minime suspensa. Illa iam in his terris tamquam voluntatis actionumque norma, haec modo spei nutriendae et recti sensus confirmandi causa nobis spectanda praebetur.

Duo praeterea, antequam hanc quaestionem relinquamus, monenda sunt, quae etiam ad commendandam doctrinam Christianam mul-

s) Vid. de causa praesenti MELLIN's *encyklop. Wörterb. d. krit. Philosophie*, Vol. I. P. 2. sub voce: *Christenthum*; et SCHMID's *Geist d. Strickl. Jesu* etc. pag. 342 sqq. et pag. 376. cer. Disertis verbis Iesus Luc. 17, 20. 21. naturam regni diuini ira describit, vt omnes Iudaeorum errores et indignas de Messia opiniones remoueat, cum affirmat, illud non oculis hominum conspiciendum praebere, sed intus in animis latere. Cfr. Io. 18, 36. 37. Matth. 7, 21.

t) Rom. 14, 17. 18. Eph. 4, 4-6. et 12-16. Col. 1, 18. Hebr. 12, 28. 2 Petr. 1, 11.



tum faciunt: sententia quippe de hominum vitiositate, et de auxilio diuino ad emendationem virtutemque constantem necessario atque certissime sperando. Adesse in homine propensionem ad peccandum, historia omnium gentium omnisque acui clare docet, et experientia quotidiana rem abunde confirmat. Haec propensio, quam et ipsam malam nobisque imputandam esse suus quemque sensus arguit, vnde originem suam traxerit, nec huius loci est quaerere, nec omnino ad liquidum perduci potest. v) Satis est hoc tenere, ratione nostra iudice indolem animi humani inde a primo libertatis vsu, quantum nos intelligimus, in vitia pronam deprehendi, nec vnquam hanc inclinationem penitus posse exstirpari. Est autem ista vitiositas cunctis hominibus communis in eo, quod, legis moralis sibi consci, desistere tamen ab ea cupiant, malintque appetitum naturalem quam rationis legem agendo sequi. Atque id ipsum locis N. T. quamplurimis docetur. x) Quod autem haec placita in laudem ethices Christianae commemorauimus, respeximus in primis vsum practicum exinde petendum; qui potissimum duplex est. Primum enim ita edocemur, quocumque temporis spatio indolem moralem excolere, virtutisque operam dare incipiamus, non integram amplius rem esse, non sumi posse statum animi innocentem, siue nec bonum nec malum, sed vitiosum, qui corrigendus sit, non sine pugna; nec reperiri iam in homine dignitatem moralem, ita vt cauendum modo sit, ne hanc perdamus, neque in peius abeamus, verum indignitatem et culpam, qua ante omnia liberandi sumus. Deinde monemur, ne vnquam cessamus voluntati nostrae inuigilare et cupiditatibus reluctari, quia peruersa appetitio debilitari quidem et vinci, sed non plane exstingui queat,

v) Vid. KANT's *Relig. innerb. d. Gr. d. bl. Vern.* statim ab initio, et p. 24. ed. 1. etc.

x) Hoc iam patet ex illo: omnes homines esse peccatores, Rom. 3, 9. 23. et Io. 3, 6. *σαρξ* est homo nondum emendatus et ad peccandum procliuis, qui alias vocatur *ψυχικός*, vti Iud. 19. Ipsa etiam propensio mala et peruersa Gal. 5, 16. 17. *σαρξ* nuncupatur. Prolixa prauae cupiditatis descriptio legitur Rom. 7, 7 sqq. vbi ea, quae Paulus de se exempli causa asserit, de vniuerso genere humano intellexisse per nexum orationis censendus est. Cf. Eph. 2, 3. 1 Cor. 2, 14. 1 Io. 2, 16.

similisque sit hosti post repetitas clades iterum iterumque resurgenti, nec vlla victoria debellato: omnem igitur genuinam virtutem certaminis cuiusdam continui speciem prae se ferre. y) — Alterum, quod addi potest, vt Christianae de moribus doctrinae pretium illustretur, est dogma de auxilio diuino hominibus peccatoribus necessario et certis sub conditionibus plena fide expectando. Cum enim male agendo culpam contraxerimus, hancque meliori posthac sensu et vita, quippe re per se necessaria, abolere nullo modo possumus: non prius emendationi sedulo studebimus, quam persuasum nobis fit, Deum velle peccata condonare. Haec fides demum poenarum metu nos liberat, spemque nobis facit certissimam, fore, vt in posterum officium constanter colamus, et felicitate a numine sancto et benigno impertienda olim potiamur. Causa veniae repetenda est non ex arbitrio Dei, sed e benignitate eius morali, qua non potest non velle, vt improbi emendantur et nanciscendae laetiori forti reddantur idonei: z) quare imbecillitati nostrae, non pigritiae succurrere, et conuenienter summo fini, igitur respicientibus modo culpam commertam ignoscere existimandus est. Mors Christi autem prodest partim ad declarandam re et facto condonandi voluntatem, partim ad tollendas arbitrarias hominum satisfactiones, quae, dici vix potest, quantum verae virtuti attulerint damnum. Sic spes nostra et certior et sincero honestatis studio accommodatior euadit. — Deinde passim quoque in N. T. singulare virtutis humanae auxilium a Deo sperandum promittitur. De natura et gradu eiusmodi adiuuenti quaerere, huc nihil attinet. Verbo tantum monemus, moralem huius dogmatis vsum esse hunc, vt certissime nobis persuadeamus, non irritam fore operam, quam emendando animo adhibeamus, nosque, dummodo serio velimus, inter summas rerum difficultates perpetuo recte acturos, et pietatis impedimenta, quantumuis grauiā ac molesta, feliciter superaturos esse. a)

y) Matth. 5, 29. 30. 2 Tim. 2, 3 sqq. Hebr. 12, 1.

z) Eph. 2, 4. 8. cert. 1 Tim. 2, 4. Rom. 5, 8. 1 Io. 4, 9. 10.

a) Rom. 8, 28 — fin. 1 Cor. 10, 13.

Nolumus, ne libellus fines suos egrediatur, plura dogmata religionis Christianae regendis moribus pulchre inferuentium exempla in medium proferre. Omnino autem vniuersa haec morum doctrina exinde nouas veluti vires, fortissimaque ad vincendas cupiditates incitantamenta et praesidia sumit, quod tota archissimis cum religione vinculis nexa est.

Iam, vt redeamus ad rem; de qua maxime hic agitur, liceat primum lectores ad ea relegare, quae de Stoicorum philosophandi modo, qua summum bonum, superius dicta sunt. His si conferantur Christi et Apostolorum effata, liquido apparere videtur, omnia, quae apud istos desiderabamus, ad cogitandam summi hominum finis effectiorem necessaria, in horum doctrina inesse, et planam atque certissimam illius scopi assequendi viam ab iis aperiri. Praeterea id, quod frustra illi imagine Sapientis fictitia efficere studebant, vt verae atque omnibus numeris absolutae virtutis et felicitatis species in mente formata hominum animis obuersaretur, effectum hic videmus viuo nec non perfectissimo Christi exemplo. Huius et vita labe carens — expressa animi puri Deoque probati effigies, — et conditio post mortem beata — praemiorum constanti recti studio propositorum exemplar — naturam humanam dignitati suae redditam et ad summum perductam nobis exhibet et ob oculos ponit; simulque perficiendae illi de moribus institutioni optime conducit, siquidem hac re ostenditur, virtutem, qualem illa praecipit, quamuis veram et genuinam, hominis tamen vires nequaquam superare. — Et singularis quoque laus huius disciplinae in eo vertitur, quod, cum ad Stoicam sapientiam, cuius comparandae viam esse volebant scientiam eximiam, tantum non philosophis solis aditus pateat, haec contra, ferua animi emendatione tamquam primo eodemque ultimo vitae negotio diligenter commendanda, omnibus omnino, cuiuscunque sint generis et conditionis, hominibus facilem et certam se praebet ducem atque magistram.

Ita si spectamus Christi et Apostolorum doctrinam, (quod vtrum recte fiat, ex allatis eorum dictis iudicabunt rerum periti) praestantissima illa nobis et Deo dignissima sistitur. Namque intelligimus, eam

Q. II 849

(X262 4364)

summis rationis principiis et communibus naturae nostrae desideris prorsus satisfacere. Quare etiam id, quod quaerebamus, recte colligi posse arbitramur: huius de animi vitaeque moderamine praecepta placitis Stoicorum veriora pariter ac puriora, hominique omni ex parte accommodatiora esse.

DOCTISSIMO AVCTORI


S. P. D.

P R A E S E S.

Cum mihi consilium Tuum in eligendo argumento, de quo scriberes, ad historiam philosophiae de moribus pertinens, operuisses, inceptis Tuis eo magis fauebam, quo propius illa ad rem accedebant, quam in praesenti, edendo librum de vita et scriptis nobilissimi inter Romanos philosophi Stoici, Senecae, ipse quodammodo diligentius tractavi. Accedit, quod religio Christiana hac aetate, vel ab ea parte, quam homines ei inimici omni tempore fere intactam reliquerunt, hoc est, in praecipuendis moribus, defendenda esse videtur. Certe ipsi theologiae Christianae doctores publici iam necessitate quadam compelluntur ad coniungendas rationis humanae leges formales, quas philosophia critica nobis sinit, cum praeceptis doctrinae a Deo nobis perscriptae. Ad quorum iudicia gravissima etiam Te, Vir Clarissime, accessisse vidi, ira quidem, ut simul ostenderes, in omni philosophia ipsorum Stoicorum rigida, cuius olim fuit maxima auctoritas, nihil tam magnificentum ac vere sublime inesse, quod, si vel e seueris philosophiae criticae principiis utramque spectemus, aequiparari possit philosophiae Christi et discipulorum eius. Poscis autem Tibi lectores, quibus formulae Kantii nullam inuidiae alicuius materiam praebent. Quos omnes aequos etiam operae a Te adhibitae iudices fore, spero et confido. Gratulor ergo Tibi, Vir Amicissime, hoc specimen doctrinae Tuae, mihi quoque ipsi occasionem, quam nactus sum, societatis, quam Tecum iam inde a multis annis familiarem inui, publice etiam confirmandae, Teque, omnia simpliciter laudum Tuarum praedicatione, valere iubeo! Scrib. in Academia Viteb. a. d. XXVII. mens. Maii A. C. MDCCXCIX.

ne

II f  
842



INCIPIORVM  
DE MORIBVS STOICAE  
CHRISTIANAE  
COLLATIO

HISTORICO - PHILOSOPHICA  
QVAM

RAESIDE  
GEORGIO CAROLO  
OTZSCH

Q. PROF. PVBL. EXTRAORD. REG. SOC.  
MONT. GERM. MEMBR.

E NVMERO EORVM  
ANDQ SCRIBENDO AC DISSERENDO  
RIVATIM EXERCENTVR

S. MAII A. R. S. CIOICCCXCIX.  
H. L. Q. C.

LICE DEFENDET  
A V C T O R

STVS DANKEGOTT HOPPE  
M. REV. MIN. CAND.

ITEBERGAE  
TZSCHIEDRICHII

